

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARVM

*Disquisitio Decima quarta*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani

Rectore

*Respondente*

JOHAN-CHRISTIANO GUEINZIO

Dobreborano Saxonum

*Dominica Septuagesima.*

A. O. R. cl. lxx. iiii.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-*

*schlegelij*

DIVITIARUM  
EVANGELICARVM

Disputatio Decima quarta

TRADE

CHRISTIANO GUENZIO

Gymnasi Salani  
Rectore

Respondens

JOHANNES CHRISTIANUS GUENZIO

Dobrichorano Saxoniae

Dominica Septuagesime.

M. D. C. C. C. C. C.

—————

HALLIS SAXONIAM

Fructu Hartmanni Melchioris Oel.

Receptis



ANALYSIS  
 EVANGELII

*Dominica Septuagesimæ*

*Matth. 20. 1. usq<sub>3</sub> ad 17.*

ANTELOGIUM.



QUOD Evangelista Veteris Testamenti Esaias habet c. 5. v. 2: Cantabo dilecto meo canticum de vinea patruelis: Id accommodatissime applicari potest ad ipsum Messiam Christum, qui patruelis Esaiæ, cuius pater Amos, frater Amasia, testibus Gerb. Exeg. f. 159. Cornel. à Lap. in Esai. f. 43. reges Jude ab Hebreis fuisse creditur. Eius verò vinea est Ecclesia vitibus generosis Jer. 26. 21. Plantata ab ipso Deo Psal. 80, 16. Istant vineam subinde coluit die ac nocte. Et adhuc dum servat eam, Esai. 27. 2. Id quod etiam presens

X

peri-

pericope Evangelica sufficienter contestatur. In qua operariorum conditio explicatur. Habetur enim.

## THESIS I.

**P**artim illorum vocatio antemeridiana, & quidem potissimum matutina: ubi occurrit cum œconomi circa operarios convocatio. v. l. In quo antecedens habet statum respectu subjecti; Simile est regnum cœlorum. Per quod non intelligitur nostræ salutis negotium, sed potius presentis Ecclesiæ, seu, ut Lyra ait, militantis, quia in Ecclesiâ triumphante non dantur murmurantes. Et similibus quidem nititur Christus libenter, quum faciant ad maiorem rudium informationem. Ut discamus, captum auditorum à doctoribus esse observandum.

2. Respectu prædicati: homini patrifamilias. Seu, ut Syrus habet, viro Domino, per quem Deus noster Johan. 15. 1. intelligitur, conditor noster, qui regit, quos condidit, uti habet Gregorius. Et homo appellatur ob summam φιλανθρωπίαν. Paterfamilias autem, quia possidet electos in mundo, ut Dominus subditos in domo; & quia gubernat totum mundum, sicut paterfamilias domum;

in qua suos progenerat, alit, informat gubernat  
 supra nos, per admirandam potentiam, ubi  
 sunt triumphantes ob gloriam; infra nos per  
 severam iustitiam, ubi sunt ejulantes ob iram;  
 circa nos per immensam misericordiam, ubi  
 sunt militantes per gratiam, ut habet Chry-  
 sost. hom. 34. operis imperfecti.

3. Consequens, quod habet effectum  
 summam: exiit. Hoc enim est patrisfamilias:  
 quoniam qui in domo est in abdito est  
 nec videtur ab eis qui foris sunt; Sic Deus ex  
 occulto processit ad notitiam, ut habet Augu-  
 stin. serm. 59. de verb. Domini: Et exiit  
 non per loci mutationem, sed per bonitatis suae  
 effusionem, addit Lyra. Ut discamus, si veli-  
 mus esse boni patresfamilias, non latere & dor-  
 mire, sed exire & rem oeconomicam tractare  
 ipsi; quemadmodum ipse exiit.

4. Explicatum habetur tempus: primo  
 diluculo, h. e. summo mane; seu cum ipso  
 diluculo. Ut discamus, auroram rebus agendis  
 esse amicam. Et quamvis sint discrepantes o-  
 piniones quid per tempora & horas intelliga-  
 tur; Alii enim vocationem Patriarcharum  
 ante diluuium, per primum diluculum intelli-  
 gunt; & ita secula mundi; sed cum dicantur  
 murmurantes non facile probari poterit, Alii

etates hominum, ut mane intellectus nostri sic pueritia, hora tertia, adolescentia, hora sexta iuventus, nona senectus, undecima decrepita atas, secundum Gregorium super hoc Evangelium. *Quae melior, ut & Hieronymus l. 3, in Matth. interpretatur, Ut discamus diversis temporibus vocari, uti mundum magnum, ita & parvum, Add. Chrysoft. 1. hom. 34. Ambros. super Luc. tom. 5. Hilar. in Matth. c. 20. & Irenæus l. 4. c. 27.*

5. Tum est scopus, qui continet parvum terminum: conducere operarios. Per quos non solum prelati & doctores intelliguntur, sed omnes homines omnino, & Christiani, quos Deus conducit per verbi predicationem, per beneficiorum largitionem, per peccatorum correctionem. Et ita omnes debemus esse operarii, non otiosi. Vnde Chrysostomus ait: operarius attendat primò opus suum, deinde cibum quotidianum; sic & nos primò quae ad Dei gloriam pertinent, deinde quae ad nostram utilitatem. Operari itaq; debemus laborem penitentiae & conversionis, laborem precum & devotionis, laborem crucis & afflictionis. Paucis laborem vocationis dum non tantum auditores, sed factores esse iubemur Iacob. 1. 22. Matth. 7. 1. Ita tamen ut non excludatur fides,



des, nam & illa opus est; uti habetur Iob. II. v. 28.

6. Partim locum: in vineam suam, Quae est Ecclesia. Theophylactus intelligit animam humanam, quae non excluditur, sed includitur, siquidem est plebs Christianorum: vinea Dominica, quae custoditur iussu Dei Patris, secundum Cyprianum de Sione & Sina in fin. interim commissa sunt singulis inquit Anton, Nebriss. Hom. 5. vinea, id est, anima, Bernhard. ferm. 62. super cantic. optimè: Vineam Domini est Ecclesia predestinatorum. Et comparatur vinea 1. ob Scripturam quum ita Ecclesiam appellet Psal. 80, 6. Cant. 2. 13. Marc. 12., 1. Luc. 20, 9. 2. ob structuram, quia Dominus Sebaoth eam plantavit, Psal. 80, 16. Cui sepimentum adjunxit & turrim in ea exstruxit Esai. 5; 2. 3. & culturam, 4. ob pressuram; Et cum nos suos in Ecclesia tanquam palmites inserti viti Christo, monemur ut simus itidem solliciti de anima nostra cura, ne sit nobis vilis, qua Deo tam cara.

7. Partim operariorum ad operas destinatio v. 2. In quo eorundem conductio. Cujus forma per obiectum describitur: Conveniens autem cum operariis. Vbi que adme-

dum in rebus humanis iustitia observari solet, & aequè hic in Ecclesia observanda ostenditur, ut conducens & conductor de quantitate mercedis conveniant; nemo enim gratis tenetur operari; nec iustitia Dei admittit, ut qua suum cuiq; tribuit. Respicitur autem, quod Chrys. habet in cap. 24. potissimum respectu Christianismi nostri ad baptismum, ubi convenimus cum Deo, si ipsi servierimus, nos eius esse ministros.

8. Tum materia per subjectum, Et quidam quoad mercedem: ex denario. Qui propriè quidem pro ratione illius temporis valuit tres solidos cum semisse, dum Romanorum imperio erant subiecti & eorum monetae utebantur, ut sit, quantum tres argentei & dimidius valet. Intelligitur autem per denarium non vita aeterna, quia alias etià daretur murmurantibus illa, habentibus oculum nequam, non electis; sed vel ipse Christus, qui merces vocatur Gen. 15, 2. & qui factus est ille Israel; vel potius dona gratuita singulis in hac mortalitate collata, habet Basilius in Regul. brevib. quaest. 250. Interim qui per denarium vitam aeternam intelligi voluit, ut August. serm. 19. de verb. Domini, Hieron. lib. 2. contra Iovianos, Chrysost. hom. 14.

opc-

356

operis imperfecti. non ratione meriti, sed ratione promissi; Non enim debendo, sed promittendo, inquit Augustin. ferm. 31. de verb. Domini, se Dominus debitorem facit.

9. Et quoad temporis definitionem: in diem. Siquidem subauditur prepositio  $\alpha$ , quo singulis in diem denarius erat destinatus.

10. Ablegatio: Et misit eos in vineam suam. Propterea siquidem conduxit. Ut discamus si vocati sumus laborem  $\alpha$  auspicari  $\alpha$  continuare, ne negligamus tempus opportunum, quod innuit Chrys. hom. 65.

11. Et vocatio meridiana, ubi otiosorum observatio v. 3. In quo  $\alpha$  quantitate circumstantia est eum temporis: Et egressus est circa horam tertiam. Per quam intelligitur nostra hora nona antemeridiana. Iudaei enim habent horas temporarias inaequales, dum dividunt in 12. horas ex Joh. 11, 9. Ut notemus tempus observare, neve negligamus temporis doctrinam.

12. Et loci: vidit alios stantes in foro. Forum autem est quicquid extra vineam, id est Ecclesiam, habet Origenes hom. 10. in Matt. can. 20. quod aequabiliter turbis hominum calumniarum injuriarumque contentionibus  $\alpha$  diversarum difficultatum semper tu-

mil-

*multuosus occupatur, Vt discamus forū fugere, non in eo perpetuo obambulare.*

13. A qualitate: otiosos. Hoc est nihil agentes: potissimum respicitur quoque hominis adolescentia, quæ ut plurimum vult esse otiosa.

14. Et mercedis justæ pollicitatio, v. 4. In quo habetur partim per mandatum: abite & vos in vineam. Ita nos Deus prima non vocat hora, tamen altera, ne simus otiosi in nostra vita.

15. Partim præmium: & quod iustum fuerit sumetis. Deus enim nullū vult frustra laborare; quāvis obstricti simus ad quævis officia propter summam misericordiam & bonitatem. Ideoque strenuè pergamus in labore bonorū operū, nam non frustra sudabimus, sed negotium nostrum cum Domino & opus nostrum cum Deo Es. 40, 4. non quasi mereamur aliquid, sed quia promissit. Vnde Hebraei iustitiæ vocem sumunt pro misericordia Zach. 9, 16. Psalm. 103, 6.

16. Effectum: illi autem abierunt. Ut ostendatur ipsorum obsequium, licet tardius vocati. Vt discamus vocationibus parere.

17. Partim pomeridiana, ubi est tum circa priorē partē diei similis observatio, v. 5. in quo circumstantia: Iterū exiens circa horam

ram

357

ram sextam & nonam. Et sexta quidem  
correspondet nostra duodecima, nona verò  
nostra tertia: intelligiturq; juvenus & virilis  
etas. Ut discamus omnem aetatem bene locare;  
Et hodie quidem, quia tota dominica parabola  
tantummodo unius diei spatio absolvitur, in-  
quit Anton. Nebriss. hom. i. de vinea men-  
tis nostræ.

18. Et forma: fecit similiter. Id est iussit  
illos abire, promisitq; illis denarium solitum;  
unde pactum tacitum.

19. Circa posteriorem, est tum otioso-  
rum increpatio v. 6. In quo notatur tempus  
circa autem undecimam horam exiens.  
Hoc est circa nostram quintam in æquinotio 12.  
horas in diem computando. Intelligiturq; ulti-  
ma etas, qua sol occidere videtur, hoc est visus  
caligatur, auditus minoratur, gustus amari-  
catur, intellectus obscuratur, memoria decur-  
ratur. Ut discamus Deum omnium velle salutem,  
dam in omni hora, in omni aetate peccator sus-  
cipitur, ut habet Eusebius.

20. Et modus aphoristicè ab effectu: &  
invenit: nempe paterfamilias, qui querit no-  
stram salutem.

21. Ab objecto: alios stantes otiosos. Et  
ostendatur negligentia hominum presertim in  
X S rebus

rebus spiritualibus quas, non curant, sed potius obambulant & extra vineam otiantur.

22. Dialogisticè dum socordiam & ignaviam arguit: quid hic statis totum diem otiosi? Ac si aperte dicatur, & si Deo in pueritia servire nolueritis, saltem in ultima senectute incipite. & ad vias vite, inquit Gregorius hom. 19. super Evangelium, cum jam multum non estis laboraturi, vel serò venite.

23. Tum facta excusatione in vineam ablegatio v. 7. In quo exceptio ab effectu negato: dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Cum enim nullus in officium sese intrudere debeat merito expectant, vocationem. Eoq; inquitur eam esse expectandam, non esse currendam. Et quia debitum erat per orbem terrarum, inquit Hilarius predicari Evangelium & gentes fidei predicatione salvari rectè respondent vite januas non esse predicatas. Sed quid nos cessantes à bono opere dicturi sumus in excusationem nostram, qui bene à matris utero ad fidem venimus, qui verba vite ab ipsis cunabulis audivimus? habet Gregor. hom. 19. super Evang. Coniunctio verò hoc loco οτι tantum servit prosopeia, dum arbitrantur se non iure reprehendi ac si essent ignavi cum à nullo sint conducti.

24. Et

24. Et patrisfamilias ordinatio, *Et idem* ab effectis, respectu illorum: abite & vos in vineam. Quo per conjunctionem copulativam gentes Iudaeis junguntur, inquit Lyra, ut una fieret Ecclesia ex ambobus. Atq; ita omnes vocantur in vineam Domini ut sint operarii: quia quilibet homo natus veluti avis ad volatum, ad laborem Job, 5, 7. 2. quia vocati Eph. 4, 1. in Christo omnes.

25. Respectu sui ipsius: & quod justum fuerit, sumetis. *Aequè ergò* & hic, uti supra, ad justitiam provocat, sine qua nullum contractum legitimum esse probat.

26. Partim mercedis ratio, & quidem occurrit tum Domini ordinatio v. 8. In quo temporis circumstantia: vespera autem facta. Ubi solet labor quiescere: & subintelligenda vox hora ultima, uti constat ex operariorum v. 12. murmuratione. Per vesperam verò Metaphoricè vel intelligitur finis mundi, vel ultima mortis hora; in qua vocantur ad accipienda premia.

27. Quoad materiam seu causam principalem: Dixit Dominus vineæ, Per quem pater aternus intelligitur, uti habet Glossa Ordinaria. Et ita pater ipse conduxit operarios, mercedem verò solvere debuit procurator.

28. Et

28. Et instrumentalem: procuratori suo. Seu prefecto, ut Syrus reddidit, domus sue. Et intelligitur Christus, quem pater iustum mundi iudicem constituit Joh. 5, 27. Actor. 17, 5. ut qui missus ad procuracionem salutis humane secundum Lyram.

29. Forma habet objectum: voca operarios. Hoc est, statue illos ante tribunal tuum. Et sic finis intelligitur mundi. Pulchre u. depingitur causa resurrectionis instrumentalis, erit enim vox Filii hominis Johan. 5, 29.

30. Et redde illis mercedem, quam iustitia postulat, prout etiam precepit Dominus Lev. 19, 13. die laboris da mercedem, ante solis occasum Deut. 24, 14. Unde colligitur Deum esse largissimum laborum remuneratorem, partim in hac, partim in altera vita, dum in hac denarium solvit corporalem pro officii vocatione, exemplo Abrahe, Gen. 20, 1. Isaaci Gen. 26, 1. Actor. 20, 22. Etiam spiritualem renovationis, sanctificationis, consolationis; tum in altero seculo, non quidem ex merito & debito, sed ex promisso, ut loquitur Basil. in 114. Psalm. dum inquit: Proposita est sempiterna requies illis, qui hac in vita certarunt, non tamen ob meritum operibus redditum, sed ob munificentissimam gratiam Dei, in quo  
pe-



901

esperarunt, exhibita: *Due a. sunt retributiones*  
*justitie, cum aut bona pro bonis, aut mala pro*  
*malis redduntur, tertia est retributio gratie,*  
*habet Aug. in Sententiis Sent. 16. Et quam-*  
*vis dicatur merces dari operariis, propter*  
*promissa tamen, non propter opera, quia alias*  
*non equalem accepissent. quippe merces etiam*  
*dicitur omne id, quod laborem sequitur, unde*  
*& Græcis τέλος appellatur, uti filii dicun-*  
*tur merces Psal. 117, 3. Sic Deus dicitur mer-*  
*ces Abrahami Gen. 3, 1. Theologia Allegorica*  
*alias non est argumentativa. Sic igitur non*  
*laboribus pretium solvitur, sed divitias boni-*  
*tatis sue in eos, quos sine operibus elegit, effun-*  
*dit Deus, quod habet ipse Ambr. lib. 1. de vo-*  
*cat. Gent. c. 5.*

31. *Et modum per ordinem inversum*  
*incipiens à novissimis usque ad primos.*  
*Quod voluntatis fuit liberrima. Interea nota-*  
*tur gentiles in regnum cælorum Judæis præveni-*  
*re, pro maiore parte in infidelitate manentibus,*  
*habet Lyca.*

32. *Et mercenariorum tum ultimorum*  
*compensatio v. 9. In quo ipsorum accessus:*  
*& venientes, qui circa undecimam horam.*  
*Hoc est venerunt ultimi ex ordinatione Domi-*  
*ni, qui vocare potest quem vult.*

33. *Et*

33. Et denarius: acceperunt singuli denarium. Ex promissione facta, ubi prepositio *ava* denotat distributionem quemadmodum Iob. 2. 6. Intelligiturq; per denarium Spiritus Sancti gratia transformans hominem ad suum exemplar, habet Theophyl. in Matth.

34. Et primorum, quorum tacita opinatio v. 10. In quo quoad subiectum seu ipsos, quorum persona: venientes autem primi. Id est qui primo conducti. Per quos partim intelliguntur Iudaei, partim iuvenes, qui a principio Deo servierunt.

35. Et sententia: Arbitrati quod plus essent accepturi. Ut qui plus secundum ipsorum opinionem laborassent: laboris enim & premii proportionem urgebant.

36. Quoad obiectum seu premium: Et acceperunt & ipsi denarium. Ex pacto scilicet. Unde iustitia Dei, argumentum est iustitiae exercenda quo unicuiq; reddamus, quod ipsi debetur, & promissum, sive sit dives sive pauper.

37. Tum expressa partim murmuratio v. 11. In quo modus: accipientes autem murmurabant. Ut qui opinati, cum illi acceperint denarium, se plus accepturos, ut inde eorum colligatur invidia, quemadmodum hypocrite ut plurimum sunt invidi. 38. Et

38. Et effectus: adversus patremfamili-  
as. Non accensant procuratorem, sed ipsum  
Patremfamilias tanquam dispositorem hujus  
ordinis: ita vel maxime omnis murmuratio  
tandem in Deum dirigitur, qui quicquid in  
humanis iniquè nobis fieri existimatur, accu-  
satur, cum sciamus procuratorem nihil per se  
facere, nisi ex divina dispositione.

39. Et eorundem expostulatio, v. 12.  
In quo argumentantur à proportionem tum  
aliorum: à minori: hi novissimi unam  
horam laborarunt. Interim dum arguunt in-  
justitiam patrisfamilias, in se ipsis non intelli-  
gunt invidiam, quia si iniquus paterfamilias,  
non in istis, sed in omnibus erit: non enim tan-  
tam hi, sed & ceteri aequale premium accepe-  
runt. Ideoq; & ipsi iniqui sint necesse est.

40. Quoad mercedem; & pares nobis  
illos fecisti. Non respectu laboris, sed respec-  
tu premii.

41. Respectu sui, à majore: portavi-  
mus pondus diei & æstus. Dum per to-  
tum diem laborare coacti. Opponuntq; æstum  
aura, qua solet flare sub solis occasum, quo  
tempore ultimi hi cœperant in vinea laborare.  
Vt observemus operarios & hypocritas ut plu-  
rimum esse iactabundos, uti patet ex Luc. 18.

9. Et 58. 3.

42 Et

42. *Et Domini exculatio v. 13. Qua desumpta est partim à pacto. In quo per propositionem, ubi causa efficiens: Ille verò respondens dixit. Paterfamilias nimirum, contra quem operarii primi murmurabant. Ut doceretur ei esse respondendum, cui opponitur.*

43. *Et materialis, Uni eorum. Per quē Origenes quidem tract. 10. in Math. intelligit Adamū quē amicum nominat ob creationē, & ultimum Paulum, sed uti unus loquitur, ita uni etiam nomine ceterorum erat respondendum, subintelligunturq; omnes operarii.*

44. *Et per rationem figuratam interrogatione Emphaticā & communicatione, partim compellendo amice. Syrus habet mi Socie. Qua voce compellamus omnes ignotos, in omnibus fere linguis. Ut discamus non importunè, sed blandè esse respondendum.*

45. *Partim declarando Negativè. Non facio tibi injuriam. Quae est conclusio, & quomodo inquit Lyra. Potest locum habere injuria ubi mera adest gratia.*

46. *Demonstrativè. Nonne denario convenisti mecum. Quae est minor propositio, quasi ita concluderet. Quicumq; ex pacto contractus debitum operario mercedem solvit, ille*

ille non facit eidem injuriam. Atqui hoc facio, quemadmodum negare non potes, quia ita convenimus. E. non facio tibi injuriam; cum enim res ad finem suum venerit, nemini liberum est de exitu conqueri. Certissimum autem est, nihil aliud D E V M facere debuisse quam quod fecerit, inquit Prosper. l. i. de vocat. Gent. c. 17. Vt discamus, pactis esse standum, & propterea neminem si agamus jure, conqueri posse.

47. Ex jure, ubi est voluntatis liberæ declaratio v. 14. In quo partim allegatur æquitas ab effectis, dum inquit: tolle quod tuum. Quia non plus petuisti; neq; etiam aliter convenimus. Et ostendit Aug. de nat. & grat. c. 52. dum inquit Tuum. Tuum autem nihil est præter peccatum. Tolle ergo poenam, quam meruisti eternam, & vade in ignem eternum.

48. Et abi. Quo ostendit per mercedem non posse intelligi vitam eternam, quia illi qui jubentur abire, potius ablegantur in ignem eternum Matth. 25, 4. quam ut accipiant vitam, eternamq; quibus dicitur Veni.

49. Et voluntas: Volo autem huic novissimo dare, sicut & tibi. Quasi diceret, hæc est voluntas mea. Et, si unicuiq; liberum  
y est

est dispensare in bonis suis prout vult, uti & mihi licitum erit. Tibi do denarium ex pacto, aliis ex libera voluntate. Et ita, quid audierunt murmurantes, inquit Augustin. l. 2. de bono perseverantiae c. 8. à patrefamilias nisi hoc volo? Ista quippe erga alios fuit largitas, ut erga alios tamen nulla esset iniquitas. Et isti quidem utriusque in bonis sunt, veruntamen quantum spectat ad iustitiam & gratiam; potest & de eo dici qui liberatur, volo, potest & de eo dici qui damnatur, tolle quod tuum est & vade. Huic autem volo, quod non debetur, donare. Hic ille, si dicat cur non & mihi? merito audiet, & homo, quis tu es? qui respondes Deo; Quem certe in uno vestrum benignissimum largitorem, in te vero exactorem justissimum, in nullo tamen cernis injustum. Qui liberatur, quod gratias agat, habet, qui damnatur, non habet, quod reprehendat, ut intelligant, inquit Prosper, donum se gratia, non operum accepisse mercedem. Cur autem; dicit pigrior aut somnolentior aliquis, habet Anton. Nebrifens. Hom. 1. de vin. Spirit. mentis nostrae. manè & non vespere est surgendum? accedentes novissimi praeponemur primis; & mercedis tantundem sumus accepturi; In cassum igitur tota die sudantes nostra attereremus

cor-

corpuscula, & estum pondusq; diei intolerabile gratis subiremus? Ludendum potius & adolescentie iuventutisq; affectibus gratissimis & placidissimis indulgendum, ipsi matura senectuti, quando quidem aliud agere, fas non erit, vinea cultus relinquatur; sed o exspectationes fallacissimas & vanissimas! quot peremerunt adolescentes? quot ad coelum volaturos iuvenes aeterna damnationis praecipites ruere coegerunt? non vos charissimi moveant inertium servorum voces, quoniam qui mane dedit, nec meridiem, nec ipsam quoq; tertiam spondit.

50. Et facultatis attestatio argumento sumpto ab accidente bonitate v. 15. In quo interrogatio à libertate agēdi. Aut nō licet mihi facere quod volo in meis? Vbi per coniunctionem disjunctivam Aut fit transitio ad aliud instituta questionis argumentū. Et est negativa per interrogationē formatā, qua fortius stringit: ut sequatur, omnino ipsi licitum quum bona ipsius sint, & misereatur cuius velit misereri, ita tamen ut nemini faciat injuriam. Vnde Prosper dicto loco huic calumniatori iniusta quidem videbatur largitas, sed quid eruditionis retulit? quid rationis accepit? opposita est ei bonitas miserantis & volentis.

51. Tum

51. Tum increpatio facta collatione de illo propter invidentiam. An oculus tuus malus est? Quae est locutio Metonymica dum invidi, plerumq; torvo oculo spectant alienam felicitatem. Estq; Phrasis Hebraea, ut malus ponatur pro malignus; oculusq; allegatur, quia affectu se maximè per oculos effundunt. Hinc oculus sublimis proverb. 6, 17. Oculus humilis Job. 21, 20.

52. Et per beneficiã. quod ego bonus sum. Quasi diceret si ex pura benignitate mercedem alteri distribuam, pudere certe te maligne istius invidie debeat. Ut discamus invidiam vitare. Est enim impuri spiritus œstrum, inquit Goegor, ex Sap. 6. Et mitissimũ hominem convertit in Demonem immittissimum, habet Chrylost. Estq; hoc ultimum parabola istius verbum, & propterea optimum.

53. Et applicatio Epiphonemata v. 16. In quo illatio sic novissimi erunt primi, & primi novissimi. Quo videtur Iudeos tangere, ac eos ex fidelibus, qui primo virtute coruscant, deinde negligentia deiectione ad profundum sunt, inquit Chrylost. hom. 65. in Matth. De nullo itaq; habet August. serm. 10. de verb. Domini, desperandum, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam deducit, nec de



de hac vita rapit impium, quia non mortem  
vult impu. Paganus est hodie, unde scis, utrum  
crastino die sit futurus Christianus. De nulla  
itaq; vivente desperandum est, ait Idem in  
Psalm. 36.

54. Et ab impari & diversa sorte ratio.  
Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.  
Vbi cum vocatio sit duplex, alia simplex, re-  
spectu Dei, & inibi omnes vocati sunt, Et li-  
cet dicantur multi Dan 12. 22. notantur ta-  
men omnes, Johan. 5. 28. Sumitur enim non  
δι'αρετικῶς sed συμπληρωματικῶς, Omnes  
enim tribus hominum, inquit Origen, hom.  
5. in diversos ab initio seculi vocata sunt.  
Deinde alia est vocatio composita, respectu Dei  
& hominum simul, qua homines vocanti Deo  
obediunt uti Rom. 8. 30. sumitur, & tunc  
electos respicit, quia non omnes recipiunt ver-  
bum; vel non obediunt, sed obicem ponunt,  
Quo modo non, sed in priore significatione, hoc  
loco sumitur, quia aliàs nulla esset oppositio  
contraq; scopum parabola. Ideoq; omnes qui-  
dem vocati, sed non omnes electi, est enim  
hac particularis, siquidem quod habet Fal-  
gentius lib. 1. ad Monimum; eos prædesti-  
navit ad regnum Deus, quos præscivit semi-  
sericordia prævenientis auxilio præventuros.

Et in se subsequenti misericordie auxilio mansuros, & quos prescivit, addit Ambros. in c. 11. Rom. credituros. E. non absolutum odium est causa damnationis, sed murmur & invidia.

---

NOTÆ.

I.

Simile est regnum cœlorum] considera Ecclesiam Christi non esse otiosam; ut discas si vis esse Christianus, operari.

II.

Exiit paterfamilias] considera vineam tuam esse animam; ut discas, quemadmodum Deus, eandem quoque colere.

III.

Tolle quod tuum] considera quæ ex gratia debentur nos non posse demereri; ut discas, licet multi vocati, tamen non omnes esse electos, ita tamen si inter electos æqui bonique consulas, quod largitur Dominus.

---

CASUS.

An non peccatum clamans in cœlos detinere mercedem laboris?

Non

**N**on videtur: quia 1. paterfamilias, nisi  
 vult, solvit Matth. 20. v. 8. 2. quia Do-  
 minus quisq; & arbiter rerum suarum l. in re  
 mandata C. mand. 3. ex duobus malis id, quod  
 minus eligendum c. duo mala i. dist. 13.  
 Quum vero miles majus malum inferre que-  
 at, quod humana ratione declinari non potest,  
 istud declinandum. 4. preferendus etiam su-  
 perior in solutione, ut privilegiatus Br. in l.  
 quibusdam ff. de jur. fisci n. 2. Köppen. de-  
 cis. 28. n. 21. Sed contra 1. operarius dignus  
 mercede c. quicumq; 12. q. 2. 2. laborans man-  
 ducare debet l. quamvis ff. de dam. infect.  
 3. peccatum clamans ad cælum secundum  
 versum:

*Clamitat ad cælum vox sanguinis & Sodo-  
 morum.*

*Vox oppressorum, merces detenta laborum,  
 & habet Jacob. 5. 4. Deut. 34. v. 14. Tob. 4.  
 Cardinal. in clement. 13. q. de præbendis.  
 sic & Azpilevatom consil. fol. 661. in-  
 quit: peccat mortaliter secundum omnes, &  
 c. mundanus 2. c. 14. q. 5. Qui aufert in sudo-  
 re panem quasi occidit proximum. Qui estun-  
 dit sanguinem, & qui fraudem facit merce-  
 nario, fratres sunt. Et quamvis opera litera-  
 torum non sit mercenaria ex l. 2. ff. de Extraordin.  
 cognit. ratione estimationis, tamen est ratione  
 susten-*

*Justentationis. Nec enim ex vento vivere possunt. Adeo ut si nulla alia adsint media discipuli teneantur alere preceptorem. Sic Sabinus à suis auditoribus sustentatus est l. 2. fin. ff. de Ojuris. Roman sing. 139. Stephan. de Nobil. lit. n. 50. c. quicumq; 12 q. 2. l. si pater ff. de donat. l. 1. c. de affel. & don. & cancel. c. quoniam dist. 88. 12. q. 2. c. quicumq; suffragio c. 1. de sepult.*

*Ad argumenta: inbet paterfamilias quando vult, sed vult, ut vespere facto statim solvatur & tempore destinato id fieri debet ex pacto. Unde nec sequestrari potest, nec per tertium prohiberi, quo minus solvatur Batt. in l. 1. C. de annon civit l. C. de ex. rei. iud l. commo- dis ff. de Re iud. Comparatur enim sumtibus alimētariis Bal. in l. 1. C. de infan. expos. n. 10. in l. qui filiam ff. ubi pupil. educat. inde qui non in isto tēpore solvit minus socvit, l. 22. §. 1. ff. de ver. Sigr. l. 85. ff. de solut. dum mora & facit ut debitor teneatur ad interesse Goil. 1. q. 4. Arum de mora c. 8. n. 14. Surd. decis. 80. n. 2. decis. 262 n. 5. l. 32. ff. de usuris, Quippe dies est summa pars. si sterilis 21 §. si tibi fundus ff. de act. empr. l. 1. §. editis ff. de edendo Ad. 2. est arbiter quisq; suarum rerum in donatione & dispensatione ante pactum, sed non in solutione: dies enim interpellat l. 12. C. de Contrah. Sup.*



**V**inea cum coeli regnum: vocat ipse co-  
lonos

Et pater, à summo mane, locatque suam,

Ac conducit eos: precium denarius ipsis

Dicitur: hinc abeunt, ac operantur opus.

Exiit, ac alios reperitq; labore vacantes,

Tertia cum lucis non procul hora foret,

His ait: & mea vos simul in vinea subite!

Praemia pro vestro iusta labore dabo.

Post sexta nonaque simillimus exiit hora,

Et misit veluti miserat ante suos.

At post undecima ducentes otia quaerit:

Cur hic? nos, aiunt, nemo locare cupit.

Is contra: mea vos simul in vinea subite

Quaeq; decet solvam praemia iusta satis

Ast ubi vesper erat praesens finisq; laborum

Oeconoמו Dominus, dixit is ante suo:

Coge laborantes mihi, praemia debita

redde.

Ac primus, volo sic, ultimus esto tibi.

Adsuat exierant modo qui vix ante vel ho-

ram,

His tamen & gratis integra drachma da-

tur.

Ve

Ut veniunt qui ceperunt sub Eoe labores,  
Hi credunt iri plus sibi iure datum,  
Unicuique sed & datus est denarius æque.  
Hinc indignantes murmura multa mo-  
vent.

Unica postremis acti fuit hora laboris:  
Mercedem nequeunt prorsus habere pa-  
rem,

Nos totam lucem sudavimus inque labore  
Mansimus, ecquid iis, nos facis ergo pa-  
res?

Ille sed econtra vobis iniuria non fit,  
Hoc operas precio quisq; locatus abit.  
Ergo tolle tuum tibi quod debetur, abique:  
Huic dare, nam volui, non minus atque  
tibi.

An mihi non dare quæ mea sunt concessa  
potestas?

Invidus est oculus cur? ego quãdo bonus  
Ultimus est primus mihi, multi quippe vo-  
cati,

Electi pauci sunt tamen inde mihi.  
Ah ego, nec totam feci sub *viribus* horam,  
Drachmam sed gratis da bone Christe,  
hi.

Hæc repetit rursus modo GUEINZIUS, iste  
laborem

Pergat at! & Christi *vinea* *vina* dabit.

GUEINZIUS.

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17



EVANG.


CHRIST

HALL

Q2 C







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

VITIARUM  
GELICARVM

*io Decima quarta*

PRESIDE

NO GUEINZIO

nnasii Salani

Rectore


*spondente*

STIANO GUEINZIO

orano Saxonum

*e Septuagesima.*

R. cl. Ic. III.



IS SAXONUM

*um Melchioris Oel-*

*chlegely*

